Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31660
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

certe. Spiritus quippe uite est duplo sit in me. Quando autem ait iohannes baptista. non enim ad mensuram dat deus spiritum. de ipso dei filio loquebatur. cui non est datus spiritus ad mensuram. quia in illo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Neque enim sine gratia spiritus sancti mediator est dei et hominum homo christus ihesus. Nam et ipse dicit de se fuisse illud propheticum impletum. Spiritus domini super me. propter quod unxit me. euangelizare pauperibus misit me. Quod enim est unigenitus filius equalis patri. non est gratie. sed nature. Quod autem in unitatem persone unigeniti assumptus est homo. gratie non nature. constitente euangelio. atque dicente. Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia. et gratia dei erat cum illo. Ceteris autem ad mensuram datur. et datur iterum additur. donec unicuique pro modo sue perfectionis propria mensura compleatur. Unde monet apostolus non plus sapere quam oportet sapere. sed sapere ad temperantiam. Unicuique ut deus partitus est mensuram fidei. Neque enim ipse diuiditur spiritus. sed dona per spiritum. Nam diuisiones donationum sunt. idem autem dominus.

Margin: homo christus sine gratia. — non diuiditur spiritus sed dona.

Ex epistola ad sixtum presbiterum

Ipsa fide unde omnis iusticia sumit initium. propter quod dicitur ad ecclesiam in cantico canticorum. uenies et pertransies ab initio fidei. restat ut non ab humano quod isti extollunt arbitrio. nec ullis precedentibus meritis. quoniam inde incipiant bona quecumque sunt merita. sed gratuitum dei donum esse fateamur. si gratiam ueram id est sine meritis cogitamus. quia sic ab apostolo dictum legitur. unicuique partitus mensuram fidei. Opera quippe bona fiunt ab homine. fides autem fit in homine. sine qua illa a nullo fiunt homine. Omne enim quod non est ex fide peccatum est. Qua propter nec se quisquam ipsius orationis meritum extollat. et si ad uincendas temporalium rerum cupiditates. et diligenda bona eterna. atque ipsum fontem omnium bonorum deum. adiutorium datur oranti. fides orat. que data est non oranti. que utique non data esset. orare non posset. Quomodo enim inuocabunt in quem non crediderunt. Aut quomodo credent ei quem non audierunt. Quomodo autem audient sine predicante. Igitur fides ex auditu. auditus autem per uerbum christi. Unde minister christi huius fidei predicator. secundum gratiam que data est illi. plantator est et rigator. Nec tamen qui plantat est aliquid. neque qui rigat. sed qui incrementum dat deus. qui unicuique partitur mensuram fidei. Unde et alibi dicitur: Pax fratribus cum fide. Que ne sibi tribuerent. continuo subiunxit. a deo patre et domino ihesu christo. Quia nec omnium est fides qui audiunt uerbum. sed quibus deus partitur mensuram fidei. sicut nec omnia germinant que plantantur et rigantur. sed quibus deus dat incrementum. Cur autem ille credat. ille non credat. cum ambo idem audiant. et cum miraculum in eorum conspectu fiat. ambo idem uideant. altitudo est diuitiarum sapientie et scientie dei. cuius inscrutabilia sunt iudicia. et apud quem non est iniquitas. Deus cuius uult miseretur. et quem uult indurat. Neque propterea sunt ista iniusta. quia occulta. Qui miseretur in hylaritate.

Ex epistola ad ieronimum presbiterum.

Quoniam in multis offendimus omnes. suggerit dominica oratio tamquam cotidianam cotidianis et si leuioribus tamen uulneribus medicinam. Iudicium enim inquit sine misericordia. illi qui non fecit misericordiam. Hinc et enim dominus. Dimittite inquit et dimittetur uobis. date et dabitur uobis. Beati enim misericordes. quia ipsorum miserebitur deus. Et hoc utique iustum est. ut dimittatur eis quia dimiserunt. et detur eis quia dederunt. Inest quippe deo et misericordia iudicanti. et iudicium miseranti. Propter quod ei dicitur: Misericordiam et iudicium cantabo tibi domine. Nam quisquis uelut nimium iustus iudicium sine misericordia. quasi securus expectat. iram iustissimam prouocat. quam timens ille dicit. ne intres in iudicium cum seruo tuo. Unde dicitur populo contumaci. Quid uultis mecum iudicio contendere.

Margin: Homo expectet iudicium sine misericordia.

ZWETTL